

1000	1000	1000
1001	1001	1001
1002	1002	1002
1003	1003	1003
1004	1004	1004
1005	1005	1005
1006	1006	1006
1007	1007	1007
1008	1008	1008
1009	1009	1009
1010	1010	1010
1011	1011	1011
1012	1012	1012
1013	1013	1013
1014	1014	1014
1015	1015	1015
1016	1016	1016
1017	1017	1017
1018	1018	1018
1019	1019	1019
1020	1020	1020
1021	1021	1021
1022	1022	1022
1023	1023	1023
1024	1024	1024
1025	1025	1025
1026	1026	1026
1027	1027	1027
1028	1028	1028
1029	1029	1029
1030	1030	1030
1031	1031	1031
1032	1032	1032
1033	1033	1033
1034	1034	1034
1035	1035	1035
1036	1036	1036
1037	1037	1037
1038	1038	1038
1039	1039	1039
1040	1040	1040
1041	1041	1041
1042	1042	1042
1043	1043	1043
1044	1044	1044
1045	1045	1045
1046	1046	1046
1047	1047	1047
1048	1048	1048
1049	1049	1049
1050	1050	1050

1051	1051	1051
1052	1052	1052
1053	1053	1053
1054	1054	1054
1055	1055	1055
1056	1056	1056
1057	1057	1057
1058	1058	1058
1059	1059	1059
1060	1060	1060
1061	1061	1061
1062	1062	1062
1063	1063	1063
1064	1064	1064
1065	1065	1065
1066	1066	1066
1067	1067	1067
1068	1068	1068
1069	1069	1069
1070	1070	1070
1071	1071	1071
1072	1072	1072
1073	1073	1073
1074	1074	1074
1075	1075	1075
1076	1076	1076
1077	1077	1077
1078	1078	1078
1079	1079	1079
1080	1080	1080
1081	1081	1081
1082	1082	1082
1083	1083	1083
1084	1084	1084
1085	1085	1085
1086	1086	1086
1087	1087	1087
1088	1088	1088
1089	1089	1089
1090	1090	1090
1091	1091	1091
1092	1092	1092
1093	1093	1093
1094	1094	1094
1095	1095	1095
1096	1096	1096
1097	1097	1097
1098	1098	1098
1099	1099	1099
1100	1100	1100

nonnullorum parochiarum solertiam fuit  
 N. 2729 die 18. Maii 1873.  
 Vd.: Confessoria.  
 Parochi Capellani Confraternitates  
 Secretoribus aliisque Ecclesiasticis qui  
 colla indoli interventionali processionibus  
 interualibus adhibentur adhibere pro-  
 cessionibus adhibere adhibere adhibere  
 viro plene

**SEPULTURA.**

**1) Juxta altare.**

Altaria, sub quorum pradellis ca-  
 davera sunt sepulta, licet propterea  
 consecrationem non amittant, debent  
 tamen interdici donec cadavera in  
 alium deferentur locum. S. C. Ep.  
 10. Novbr. 1599.

Non licet corpora defunctorum se-  
 pelire prope altaria et sub pradellas  
 et servandam dispositionem s. Canonum  
 in *cap. percipiendum 13. quaest. 2.*,  
 necnon Constitutionem s. Pii V. in  
 Bullar. novo *Quinam in ordine* §. 6.  
 N. 1460 die 11. Julii 1643.

**Tiburтин.**

**Rme D. uti Frater.**

Expositum fuit S. R. C. ab Archi-  
 presbytero Terrae Poli nuncupatae istius  
 dioec. sacerdotem Josephum Rosa ceu  
 Patronum Aediculi Deo sub invocatione  
 s. Rochi conf. erectae intra Eccl. archi-  
 presbyteralem ibi extruxisse sepulch-  
 rum pro se suisque, quod nimis altari  
 adhaeret contra leges canonicas, atque  
 de opportuno remedio Emorum PP.  
 auctoritas interpellatur. Sacerdos vero  
 Rosa praedictus recursus in se facti  
 bene conscius eidem S. C. totius rei  
 seriem aperiens supplicem libellum  
 exhibuit, una cum Peritorum testifica-  
 tionibus, ac sepulchri ipsius ichnogra-  
 phiam ac totius Aediculae, quo facile  
 pateret etiam posita areae angustia re-  
 censitas leges fuisse servatas earum-  
 que dispositionem sartam tectamque  
 manere cum accessione sepulchri. Haec  
 omnia in ordinariis ejusdem C. Co-  
 mitiis habitis subscripta die apud Va-  
 ticanas Aedes distincte per infrascripta

S.

tum R. P. D. Secretarium relata ac  
 rite ab Emis PP. examinata, communi  
 in sensu ipsi fuerunt ut amplitudini  
 tuae scriberetur, quatenus super fa-  
 ciem loci, omnibus perspectis, ac di-  
 ligenter consideratis eadem amplitudo  
 tua cognoscat, utrum necne revera  
 spatium trium cubitorum intercedat in-  
 ter sepulchrum et altare praedicta ad  
 tramites eorum, quae sancita sunt in  
 una Volaterrana die 17. mense Mart.  
 anno 1663; quo posito per opportunum  
 decretum quaestionem componas rem-  
 que definias, ne locus amplius alicui  
 contestationi remaneat. Curet prop-  
 terea amplitudo tua hoc S. C. manda-  
 tum exequutioni dare, ac diu felix et  
 incolumis vivat. N. 5046.

Romae 23. Maii 1846.

**Rmo D. uti Fratri Ep. Tiburtino.**

Vd.: *Sepultura* (modus); *Altare* (super quo  
 sunt etc.); *Sepulti*. (in Eccles. etc.); *Visitat.*  
*de funerib.*

Sepulturae debent esse remotae ab  
 altaribus, ita ut sepulturae ostium longe  
 absit ab altaris scabellis ligneis, seu  
 praedella cubitis ad minus tribus.  
*Concil. Mediolanens. I. part. 2. De-*  
*cret. Visitat. Apostolic. verb.: Sepul-*  
*tura, ibi: „Sepulchrorum ipsorum in-*  
*posterum aedificandorum ostium longe*  
*ab altaris scabellis ligneis vel prae-*  
*della cubitis ad minus tribus, sepulchra*  
*vero ipsa ad scabellum ligneum non*  
*pertingant. Hinc nemo sepeliendus*  
*est prope altaria seu sub praedellis et*  
*si quae inibi reperiuntur constructae*  
*sepulturae, interdiciuntur altaria, donec*  
*amotis ossibus ibi sepulchorum sepulturae*  
*terra repleantur et muro obstruantur.*

## 2) Associatio.

## a) Quis convocat?

Vd.: *Convivium in aniv. Def.*; *Quarta funer.* (decr. de die 17. Mart. 1579). *Process. funebr.* (Crux eccles. tumul. decr. n. 4088; exit. ab eccles. paroch. t. II. p. 820 decr. n. 4316, 808, 2065.

Posse parochum ad libitum vocare Clericos vel presbyteros, quos voverit, ad funera et exequias, quae fiunt et celebrantur in sua Parochia, dummodo illi sponte velint accedere, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntatem servandam esse. N. 476 die 7. Septbr. 1613.

In arbitrio haeredum defunctorum residere numerum regularium, qui funeri intervenire debent, non autem in voluntate parochorum, non obstante contrario decreto synodali. N. 1363 die 7. Decbr. 1641; n. 1478 die 22. Novbr. 1643; n. 1196 die 14. Jan. 1640.

Haeredes non tenentur vocare nisi parochum. S. C. Ep. 28. Sept. 1646.

Haeres defuncti invitare potest numerum sacerdotum seu saecul. seu regul. immo et confraternitatum sibi benevisum. S. C. Ep. 5. Maii 1617.

Quoties electio fit a parochio, Clerici Ecclesiae debent externis praeferi. S. C. Ep. 23. Apr. 1649.

*Ad dub.*: an parochi civitatis prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsas confraternitates invitent ad associanda cadavera, quae in eorum ecclesiis paroch. deferuntur? S. R. C. resp.: Non posse prohiberi. Die 17. Junii 1673.

## b) Modus.

Non licere, ut nonnulli ex Confraternitatibus cum intortitiis incedentes ad feretrum illiusque partem anteriorem occupantes usurpent locum parochio designatum, quod ex incuria

nonnullorum parochorum toleratum fuit. N. 2729 die 18. Maii 1675.

Vd.: *Confraternit.*

Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes alique Ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt processionibus funeralibus, deferant, sicut in aliis processionibus, birretum sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviae et noctis, prout disponit rituale romanum *titul. de process.*, et ut saepe resolvit S. R. C. Quae quidem pilei prohibitio non solum est pro Ecclesiastico saeculari sed etiam regulari, licet sint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decbr. 1704. Constit.: *La Santita di Nostro Signore.*

Vd.: *Visit. de funerib.*

## c) Obligatio Cleri saecul.

*Ad dub.*: an Canonici non invitati accedere possint ad funera tam lucrandi stipendia causa quam non? S. C. resp.: Negative. N. 4240 ad 8 die 16. Febr. 1754.

Occasione electionis Sepulturae factae ab aliquo ex participantibus in eorum respective Ecclesiis receptitiis, non tenetur Capitulum Cath. intervenire ad cadaveris associationem et e converso, decedente aliquo ex Canonici Cath. non tenentur Archipresbyteri et Presbyteri. N. 4262 ad 12 die 18. Decbr. 1756.

*De oblig. associandi cadavera et ex quo loco vd. praecipue: Process. funebr.* (exitus.)

## d) Obligatio Regular.

Regulares non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa expectant ad januas. N. 2733 ad 4 die 22. Junii 1675; n. 3241 ad 1 die 11. Aug. 1691.

Regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quascunq; Ecclesias

deferenda una cum Clericis, non possunt impediri. N. 983 ad 1 die 22. Apr. 1633.\*)

Regulares vocatos a confratribus non posse prohiberi ab Archipresbytero, quin accedant ad processiones et ad celebrationem missarum. N. 1003 die 19. Aug. 1634.

Vd.: *Process. funebr.* (exitus ab Eccl. paroch.)

Regulares primi debent invitari, quando cadaver sepeliendum est in eorum Ecclesia. S. Congr. Episc. et Regular. Die 9. Januarii 1595.

Parochus minime excluditur, licet a defuncto accersiri tantum regulares jubeantur. Ead. S. Congr. Episc. et Regul. Die 21. Aprilis 1594.

*Concedit Papa quod Regulares non possint prohiberi associare corpora defunctorum et quod Curati non possint cogere haeredes defunctorum celebrari facere missas in suis Ecclesiis parochialibus.*

*Urbanus VIII.*

*Ad futuram rei memoriam.*

1. Nuper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum generalium ordinum praedictorum s. Francisci, s. Augustini et beate Mariae de monte Carmelo, discalceatorum nuncupat., Nobis expositum fuit, quod alias a venerabilibus fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus, s. Ritibus praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet: Instantibus Procuratoribus generalibus ordinum praedictorum s. Francisci, s. Augustini et discalceatorum Carmelitarum declarari primo: an liceat Curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire, contra voluntatem haeredum defunctorum, ne regulares Curati ad funus corpora defunctorum

\*) Hoc decr. confirm. est per infrascr. Breve *Urbani VIII.* de die 25. Jun. 1633: *Nuper pro parte etc.*

ad quasvis Ecclesias deferenda, una cum Parochis et Clericis processionaliter associant. Et ad hoc S. Rituum Congregatio respondit: regulares in casu proposito non posse impediri. Secundo: an praedicti Curati possint cogere haeredes seu executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumultantur in Ecclesiis regularium, missas celebrare faciant in ecclesiis parochialibus? Et S. Rit. Congr. respondit: non posse cogere. Die 23. Aprilis 1633.

2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decretum praesertim Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent, Nos illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesertim Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos, tam juris quam facti, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 25. Junii 1633.

(Bull. r. t. V. p. 250. Ed. Luxbg.)

## 3) Canonicorum.

Vd.: *Canonici* (sepult.); *Mitra ad exequias. Cadaver. Sepultura* (a parochio etc. decr. n. 2827, 2442); *Quarta fun. pro sepult. can. cathedr.*; *Visitatio de funerib. SS. Viatic.* (port. Canon.)

In ecclesia, ubi sepelitur corpus defuncti, etiam Canonici Cathedr., sive

habuerit sive elegerit sepulturam, ad parochum ipsius ecclesiae pertinere officium facere. N. 2442 die 9. Junii 1668.

Vd.: t. II. p. 819 nota ad decr. n. 4592 ad 5. *Sepultura Clericor.* (a quo facienda? decr. *Fulginaten.* §.: *Plures.*)

Notissima est generalis regula constabulata a S. Congregatione in *Tyburтина* administrandi Sacramenta 12. Maii 1685, in qua proposito dubio? *An Canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia Cathedrali vel in Parochia domicili vel potius in Ecclesia, in qua adest sepulchrum suorum majorum?* respondit: *In Cathedrali, si in ea adsit sepulchrum proprium Canonorum, sin minus, in sepulchro majorum.* Idque ipsum edixit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in una *Senogallien.* 13. Maii 1650 apud *Nicol. Tom. 1. lib. 4. tit. 15. n. 23.* *Clericus non sepelitur in sepulchro majorum, quando in Cathedrali vel matrice adest proprium Clericorum sepulchrum a laicalibus separatum.*

(Ex resol. S. C. C. die 18. Aug. 1770. *Andrien.*)

Etiam Canonici aliique addicti Ecclesiae Cathedrali sepeliendi sunt in Parochia domicili, quando in Cathedrali desit proprium Canonorum sepulchrum vel non habeant majorum sepulchrum, *ut in Tyburтина* juris administrandi Sacramenta et funerandi 11. Maii 1684 et in *Derthonen. Jurium parochialium* die 3. Decbr. ad dubium XVI.

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Sept. 1778. *Avenionen.*)

#### 4) Qui sunt capaces sepulturae?

Vd.: *Sepult.* (Qui non sunt capaces etc.)

Ordinarius mandet cadaver olim excommunicati et in articulo mortis absoluti ab ejus simplici confessario sepeliri in loco sacro. S. Congr. im-

munit. in *Sipontina* die 3. Apr. 1661 lib. decret. Rocci p. 329.

Cadaver excommunicati, qui non tantum dedit signa poenitentiae sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat ecclesiasticae sepulturae ad formam cap.: *A nobis de sentent. Excommun.* S. Congr. Im-mun. in *Nicoteran.* 12. Novbr. 1668 lib. 1. Decret. *Altovit.* 288. Quando quis non fuit declaratus Excommunicatus vel non fuit notorius, non potest impediri sepultura. S. Congr. Im-mun. in *Catacen.* 12. Nov. 1647 lib. 4. decret. *Pauluc.* p. 30.

Cadaver correi homicidae in persona Sacerdotis, mortui in Excommunicatione, non est tradendus ecclesiasticae sepulturae. S. Congr. Im-mun. in *Feretrana* die 31. Julii 1675 lib. 1. decret. *Alt.* p. 974.

Nisi Curia saecularis amoveat impedimentum appositum sepulturae, ne Clerici cadaver sepeliatur, cum hoc sit contra christianam pietatem et contra Jurisdictionem ecclesiasticam, Episcopus procedat prout de Jure; S. Congr. Im-mun. in *Sorana* die 12. Maii 1674 ibi p. 939.

Quoad excommunicatum defunctum S. Congr. injungit Episcopo, ut praecise informet super denegatione sepulturae ecclesiasticae. S. Congr. Im-mun. in *Meliten.* die 12. Jan. 1694 lib. 1. decet. *Vallem.* p. 98.

#### 5) Qui non sunt capaces sepulturae?

Vd.: *Profanatio ecclesiae.*

*Ecclesiastica sepultura carere debent omnes non baptizati, uti sunt Judaei, Turcae seu Pagani, cap.: Ecclesiam* 26., cap.: *Ecclesiam* 27. distinct. 1. de consecrat. Huc pertinent etiam infantes catholicorum certo decedentes sine Baptismo: si vero dubium sit, an sint vel non valide baptizati, non sunt privandi ecclesiastica sepultura: *Engel* lib. 3. decret. tit. 28.

n. 17., *Reiffenstul.* ibid. n. 77., *Samuel.* de sepultur. tract. 2. contr. 3. conclus. 13. cum aliis ibi allegatis, arg. cap.: *In obscuris* 30. de Regul. Jur. in 6. Item huc reducuntur Catechumeni, quia et ipsi Baptismo carent., *Paludan.* in 4. dist. 4. quaest. 3. art. 1., *Layman* lib. 3. tract. 6. cap. 12. n. 10., *La Croix* lib. 17. n. 150. cum aliis ibi allegatis, *Pirhing* lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 61., *Reiffenst.* ibid. n. 77., ubi testatur etiam de comuni. Quamvis tamen *Samuel* loco cit. conclus. 13. dicat. Catechumenos esse sepeliendos in loco sacro, quia jam pro fidelibus habentur, uti etiam tenet *Gobat* de Baptismo n. 620. vers.: Cum ad Apostolicam, de Presbyt. non baptizato.

*Item ecclesiastica sepultura carere debent Haeretici et in puncto Haeresis eorum receptores, defensores, fautores etc., cap.: Sicut* 8., cap.: *Excommunicamus* 13. §.: *Credentes, de Haeretic.*, cap.: *Quicumque* 2. eodem in 6.; etiamsi Haeresis solum per mortem eorum fuerit detecta; argum. cap. *Sane* 6. caus. 24. quaest. 2.

*Item notorie Excommunicati; cap.: Communione* 1. caus. 24. quaest. 2. cap.: *Sacris* 12. de sepulturis, nisi in articulo mortis signa poenitentiae dederint, ac per eos non steterit, quominus fuerint absoluti. In tali enim casu dicti excommunicati etiam post mortem ritu ab Ecclesia praescripto absolvi sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt ac debent, cap.: *A nobis* 28. de sentent. Excommun. in 6. Et sic expresse declaravit S. Congr. Episc. et Reg. in *Notana* 19. Julii 1619 apud *Barbos.* lib. 2. jur. Eccles. univers. cap. 10. n. 40. et de Offic. et potestat. Parochi part. 3. cap. 26. n. 40.

*Item interdicti notorii et denunciati. Clement.* 1. de sepultur. Generaliter enim per omne Interdictum, sive locale sive personale, usus ecclesiasticae

sepulturae prohibetur; cap.: *cum et plantare* §.: Quod si Templarii de privileg.; et idem de suspensis ab ingressu Ecclesiae deciditur, cap. *Is cui* 20. §.: *Talis quoque, de sentent. Excom.* in 6.

*Item publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint vel idoneam dederint de restituendo cautionem, cap.: quia* 4. de usuris, cap.: *Quamquam* 2. eod. in 6.

*Item manifesti raptores et Ecclesiarum violatores, cap.: Super eo* 2. de Raptorib. Secus vero est dicendum, si occulti sint et confessi ac restitutionem fecerint per se vel per alios. At tunc sunt in Coemeterio tumulandi absque Clero, ex citat. cap.: *Super eo* 2. de Raptoribus.

*Item decedentes in Torneamentis; cap.: Felicis* 1., et cap.: *Ad audientiam* 2. de Torneamentis.

*Item qui per annum integrum non confitentur et tempore paschali sacram Synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio Sacerdotis prorogassent, cap.: Omnes utriusque* 12. de poenit. et remissionibus.

*Item publice blasphemantes Deum, ac Sanctos et praesertim B. M. V. et impenitentes morientes seu Poenitentiam eis injunctam non facientes, cap.: Statuimus* 2. de Maledicis.

*Sepultura sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugnae obierint: Bened. XIV. Constitut. incip.: Detestabilem* §. 9. Vd.: *Profanat. Eccles.*

*Ad dub.: An ecclesiastica sepultura carere debeant, qui decedunt ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint et obtinuerint a peccatis simul et censuris absolutionem? Attenta Constitutione Benedicti XIV., cui initium est: Detestabilem, et hi carere debent ecclesiastica sepultura. Videtur enim Summus Pontifex imitatus sanctionem*

Concilii Lateranensis relatum in cap.: *Felicis de Torneamentis*, qua cautum fuit ne in loco sacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, tametsi, antequam extremum vitae spiritum ederent, non incerta poenitentiae signa exhibentes, absolutionem retulissent. „Quod (sunt ipsissima verba) si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti poenitentia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.“

*Item semetipsos voluntarie ex impatientia, ira et desperatione et alia simili causa occidentes*; cap.: *Placuit* 12. caus. 23. q. 5.

Advertunt tamen *Covarruv.* lib. 2. variar. resolut. cap. 1. n. 11., *Navarr.* lib. 3. consil. 7. de sepultur., *Socinus* jun. consil. 51. lib. 1., *Pirhing* lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 65., *Reiffenstuel* loco cit. n. 89., *Barbosa* lib. 2. jur. Eccles. univers. cap. 10. n. 49. et de Offic. et potest. Parochi part. 3. cap. 26. n. 49., *Burghab.* centur. 3. cas. 20., *La Croix* l. 7. n. 156., *Samuel.* de sepultur. tract. 2. controvers. 5. conclus. 2. et plures alii, quod si quis reperiatur in puteo vel in flumine submersus aut laqueo suspensus, veneno seu ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi abunde constet, quod se ipsum voluntarie et sui compos occiderit; quod tamen in dubio non est praesumendum, cum in dubio delictum praesertim tam grave de nemine praesumatur, *argum. l. Merito* 52. *Pro socio*; tum quia potuit talis per insidias aut vi per alium in puteum vel flumen praecipitari aut laqueo suspendi, seu, quod satis probabile est, ex amentia vel mentis alienatione se ipsum occidere, ut recte notant citati doctores et alii; signum autem sufficiens suspicandi, quod adfuerit alienatio mentis, est, si antea animadversus est defigi in melancholia: *Gobat* in *Quinar.* tract. 5. cap. 5. n. 15., *La Croix* loco cit. n. 256.

et alii. Item si mane sit confessus, communicarit et postea inveniat mortuus cum laqueo in collo seu demersus in puteo vel flumine: *Gobat* loco cit. n. 54.; *La Croix* loco citat. n. 256. cum *Navarr.* et *Rodriq.* ibi allegatis, ubi subjungit, quod *Lohner* putat, si commode fieri potest et sit suspicio voluntariae caedis, quod melius expectetur iudicium Episcopi; sic etiam si reus non confessus nec legitime convictus reperiatur mortuus in carcere, non ideo statim privandus est sepultura ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus aut a se ipso vel daemone occisus, qui praesumendus est semper pro reo et pro innocentia; multa sunt enim mortis naturalis argumenta, ut tortura, carcer, vincula, tristitia et hujusmodi, ut dicit *s. Augustinus de civitate Dei* l. 19. cap. 6. Et si non morte puniantur, in ipsis vel ex ipsis, plerumque tormentis moriuntur, *La Croix* lib. 4. n. 1477 cum aliis ibi citatis; unde in similibus caute attendendae sunt omnes circumstantiae talis mortis, personae, loci et temporis ad dignoscendum, an quis sit a seipso sibi bene praesente voluntarie occisus vel ex amentia seu mentis alienatione, aut ab alio seu daemone sit interfectus, aut ob aliquam ex assignatis causis obierit et sic an privandus sit necne ecclesiastica sepultura.

*Item sepultura ecclesiastica privantur suspensi impenitentes*; cap. *final. caus. 13. q. 2.* Et sic omnes, qui in notorio ac certo peccato mortali absque poenitentia decedunt, ut qui in actuali furto, rapina, fornicatione, adulterio et hujusmodi occiduntur, ut habet communissima doct., *arg. quibus peccata* 6. *caus. 13. quaest. 2.*, cap.: *Non aestimemus* 19., cap.: *Pro obeuntibus* 21. cum seq. eadem caus. 13. *quaest. 2.*, cap.: *Fures*, de *Furtis*, cum similibus.

*Item regulares utriusque sexus proprietarii, si moniti a Superiore absque emendatione et poenitentia decesserint*; cap.: *Monachi* 2., cap.: *Super quodam* 4., cap.: *ad Monasterium* 6. de statu Monachor.

Recte tamen advertunt quoad hoc *Barbosa* loco cit. n. 47., *Samuel.* de de sepulturis controv. 6. conclus. 1. cum pluribus ibi allegatis, *Roderic.* in *Compend. quaest. Regular. resolut.* 188. n. 20., *Portell.* in *dub. Regul. verb.*: sepultura n. 11. et alii plures, non esse ita praecipitanter privandum ecclesiastica sepultura religiosum inventum mortuum cum bursa denariorum; praesumi enim debet seu saltem potest, denarios non esse proprios vel quod ex oblivione aut negligentia alterius inibi remanserint, aut quod tales denarii essent sui consanguinei vel amici seu quod illos habuisset ad faciendam secretam restitutionem seu eleemosynam et hujusmodi, unde in tali casu non esset religiosus privandus ecclesiastica sepultura, nisi certo constaret, quod esset mortuus vere proprietarius et impenitens; eo vel maxime quod citata jura loquuntur solum de religioso a suo Superiore prius admonito et nihilominus proprietario et impenitente defuncto.

*Omnes quamvis exempti et privilegiati, qui scienter sepeliunt aliquem tempore interdicti vel aliquem nominatum excommunicationem vel personam publice interdictum vel manifestum usurarium vel Haereticum aut ejus defensorem, fautorem vel receptorem et peccant mortaliter et eo ipso excommunicationem incurrunt*, *Clem. 1.* de sepulturis et cap.: *Quicumque* 2. de *Haeretic.* in 6.

*Sepelientes autem alios sepultura indignos, ut suicidas, decedentes in peccato mortali, infantes non baptizatos, Catechumenos, religiosos pro-*

*prietarios etc. peccant quidem mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiae, possuntque poena arbitraria ab Episcopo puniri, utpote qui potest transgressores legum ecclesiasticarum punire; at non incurrunt dictam excommunicationem, quia talis lex, utpote poenalis, non est extendenda ultra casus et personas expressas; l. interpretatione* 42. *ff. de poenis*, ibi: „*Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam asperandae*“, cap.: *In Poenis* 49. de *regul. juris* in 6. ibi: „*In poenis benignior interpretatio est facienda*“, juncto cap.: *Odia* 15. eod. ibi: „*Odia restringi et favores convenit ampliari*“, *Reiffenstuel* loco cit. n. 95.; *Samuel.* loco cit. tract. 2. conclus. 1. et alii passim.

*A tali poena etiam ex praedictis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia vel gravi metu coacti id faciunt*; *argum. cit. Clement. 1.* de sepulturis, ibi: „*Qui propriae temeritatis audacia non sine contemptu clavium Ecclesiae... scienter sepelire praesumunt*“ et cit. cap.: *Quicumque* 2. de *Haeretic.* in 6., ibi: „*Quicumque Haereticos credentes receptores, defensores vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae*“. Sic *Glossa* ibi verb.: *Scienter*, *Pirhing* loc. cit. n. 79., *Reiffenstuel* loco cit. n. 95. et alii passim. Item a tali poena excusantur, qui tempore interdicti sepeliunt in casibus a Jure vel apostolicis privilegiis concessis: *Glossa in d. Clement.* verb.: *a Jure*; *Reiffenstuel* loco cit. n. 95. et alii passim.

*Nomine sepelientium ad incurrendam dictam excommunicationem veniunt terram aperientes, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes aut concedentes et procurantes.* *Anchar.* in cit. *Clement. 1.* de sepulturis n. 10., *Pirhing* loco cit. n. 80.; *Reiffenstuel*

loco cit. n. 79.; *Samuel*. loco cit. tract. 2. contr. 10. conclus. 3. cum pluribus ibi allegatis. Item etiam cooperantes, associantes seu Crucem portantes et luminaria deferentes: *Anachr.* loco cit., *Samuel* loco cit. cum aliis allegatis; et ratio est, quia omnes isti participant in crimine criminoso adeoque omnes isti subjacent dictae poenae, *arg. c.: Nuper*, et cap.: *Concubinae* de sentent. Excomm.

*Cadavera excommunicatorum denunciatorum sepulta in loco sacro debent iterum exhumari, si ossa discerni possunt et Ecclesia propter talem sepulturam polluta reconciliari.* *Communis* textu expresso in cap.: *Sacris* 12. de sepulturis, et cap.: *Consuluisti* 7. de consecration. Eccles. Idem procedit de infidelibus et paganis. *Communis*, textu expresso in cap.: *Ecclesiam* 27., et cap.: *Ecclesiam* 28. dist. 1. de consecrat. ibi: evulsis corporibus. Donec autem praedicta excommunicatorum et infidelium seu paganorum cadavera exhumentur et Ecclesia reconcilietur, nemo ibidem sepeliri potest: *Communis*, textu expresso in cap.: *Unic.* de consecrat. Eccles. in 6.

#### 6) Carceratorum mortuorum.

Moriens in carcere, in quo detinetur custodiae et correctionis causa, si non sibi elegerit sepulturam vel non habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in Parochia sui proprii domicilii; si vero damnatus fuerit ad carcerem in perpetuum vel ad certum tempus, sepeliendus est in Parochia, cui subest carcer. Sic expresse per viam legis determinatum fuit in statuto Cleri rom. juxta ipsius novissimam compilationem, c. 3. lit. F. fol. 20. ibi: „Carceribus quoque ex quavis causa ad custodiam vel correctionem mancipati, si in illis mori contingat

non electa sepultura, sepeliendi in Ecclesia parochiali, in cujus Parochia retinet domicilium, damnatos vero ad carceres in perpetuum vel ad tempus, in Ecclesia parochiali, cui subsunt carceres, tumulandos esse declaramus.“ Et in effectu ita practicum fuit de mense Martii 1707 favore Eccles. s. Mariae trans Tyberim pro carcerato defuncto in carceribus Capitolinis. Atque demum in praecisis nostris terminis probatur id practicum in carceribus novis ex attestazione eorundem Officialium in Secretaria exhibita. Sic refert D. *Ursaya* tom. 1. part. 2. discept. 30. n. 24. et seq. Et de facto S. Congr. Concilii in Farfen. Matrimonii 26. Martii 1707 declaravit, quod Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam vel ad correctionem coram Parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in poenam perpetuo vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium. Et hoc decretum legitur impressum in statuto Cleri romani cap. 3. de jure eligendi sepult. n. 4. in addit. et sic cum pluribus aliis juxta nostram conclusionem tenent *Pignatell.* tom. 7. consult. 86., ubi in fine adducit etiam ipse ad id statutum Cleri romani dicitque extare decretum pro Ecclesia parochiali s. Mariae Transpontinae et Ecclesia s. Blasii in via Julia pro captivis pariter in poenam in carceribus novis, ac concludit: tenendum esse, quod mancipati carceribus in poenam per aliquod tempus, si ibi moriantur, debeant sepeliri in Parochia carcerum et si contingat alibi sepeliri, debeatur quarta funeralis eidem Parochiae, quia, cum sint servi poenae, contrahunt habitationem, ubi luunt poenam, uti dicitur de relegatis per text. in l. Filii libertorum 22. §. Relegatus, ff. ad municipalia, ibi:

„Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet;“ quod *Glossa in l. Ejus qui 27. §. final. vers.: Unde arcetur eod. titul.* et cum multis aliis *Samuel* de sepulturis disp. 5. contr. 9. conclus. 10. n. 14. intelligunt de relegatis in perpetuum; relegati autem ac confinati ad tempus sunt sepeliendi in eo loco et civitate, ubi debuissent sepeliri, ac si non essent relegati, ut expresse concludit *Samuel*. loco cit. allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Joan. Andream, Zaborem, Lavorium, Florian. et alios.

#### 7) Cardinalium.

*Pro exequiis Rmorum DD. Cardinalium.*

Cum per manus omnium Illmorum et Rmorum DD. Cardinalium Congregationis SS. Rituum transmissum fuerit decretum factum et approbatum in Consistorio secreto a SSmo D. N. Clemente Papa VIII. sub die 5. Maii 1600 de celebrandis in Capella exequiis pro quolibet Cardinali defuncto et aliis faciendis in funeribus et exequiis dactorum Cardinalium defunctorum, S. Rituum Congregatio mandavit et ordinavit, ut in futurum omnino dictum decretum servetur. Die 6. Septembris 1603.

Cujus quidem decreti consistorialis tenor est qui sequitur videlicet:

Die 5. Maii 1600 fuit Consistorium in aula solita palatii Apostolici apud Vaticanum, in quo ante audientias solitas SSmo D. N. Clemens Papa VIII. vocatis ad circulum ante se tribus Cardinalibus capitibus ordinum, una cum camerario, videlicet, Illmis et Rmis DD. Gesualdo Priore episcoporum, Florentino Priore Presbyterorum et Sfortia Priore Diaconorum ac Aldobrandino camerario, cum illis tractavit de observandis in funeribus et exequiis Illmorum et Rmorum D. Cardinalium

defunctorum. Et in futurum mandavit fieri ut infra, scilicet:

Quod post mortem alicujus Cardinalis quamprimum omnes Cardinales viventes pias pro anima defuncti ad Deum preces fundant. Cardinales nempe Episcopi et Presbyteri private pro ejus anima unam missam et Diaconi Cardinales officium defunctorum pro eadem anima private similiter recitent.

Item quod aliqua die non impedita infra octavam obitus seu post quamprimum licuerit, celebretur in Capella palatii solita vel quando Papa habitat in palatio s. Marci vel in Quirinali, apud s. Marcum vel in alia ecclesia commoda missa solemnis exequialis per aliquem Cardinalem, pro anima ejusdem Cardinalis defuncti cum interventu S. Collegii et omnium Praelatorum et Officialium, qui in Capellis ordinariis solent intervenire, prout statutum legitur in lib. caeremon. lib. 2. sect. 2. cap. de missa, quae pro animabus imperatoris, Cardinalium et regum noviter defunctorum in Capella dici consuevit. Et haec omnia fiant tam pro Cardinalibus decedentibus in Curia quam pro Cardinalibus decedentibus extra curiam.

Quod relinquatur facultas et arbitrium haeredibus et executoribus Cardinalis defuncti celebrandi in ecclesia, ubi defunctus sepelitur vel in alia ad eorum libitum vel exequias novendiales, prout cavetur in lib. caeremon. lib. 1., sect. 15., cap.: De morte et exequiis Rmorum Cardinalium, vel si magis placuerit, una die tantum cum castro doloris, quatuor solitis absolutionibus et interventu S. Collegii, si ab haeredibus invitetur.

Quod vigiliae, nempe: *Vesperae et matutinae defunctorum cum laudibus*, quae hactenus celebratae fuerunt in domo Cardinalis defuncti, in futurum non in domo sed in aliqua ecclesia viciniore domui vel commodiore cele-